

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 2988

**Auteur(s)** : Henri Ier Beauclerc, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Garin, Saint-Évroutl-Notre-Dame-du-Bois, Notre-Dame (abbaye, abbé)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : [1123-1128]

**Lieu d'émission** : Rouen

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Charte d'Henri Ier en faveur de Saint-Évroutl.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Le Prévost Auguste, *Orderici Vitalis angligenae, coenobii uticensis monachi, historiae ecclesiasticae libri tredecim*, Paris, J. Renouard et Socios (Société de l'histoire de France), 1838-1855, 5 vol., t. 5, Appendix, n° XI, p. 202-204.

Texte établi d'après a

H. Dei gratia rex Anglie et dux Normannie, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, vicecomitibus, justiciis et omnibus ballivis suis, salutem. Noverit universitas vestra me, ad petitionem dilectorum et fidelium meorum Roberti de Grentemesnil et Roberti de Sancto Serenico, concessisse et hac presenti carta mea confirmasse Garino abbati et monachis de sancto Ebrulfo omnes libertates, ecclesias, decimas, redditus, homines et terras quas tam ipsi et fideles sui clerici et laici quam etiam progenitores eorum Hugo et Robertus de Grentemesnil et W. Geroianus predicto monasterio donaverunt temporibus Willelmi patris mei regis Anglorum et meis, ipso concedente et confirmante, in quibus hec propriis exprimenda duxi vocabulis ; ecclesiam videlicet de Nucento cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam de Grentemesnil cum omnibus pertinentiis suis, et in bosco ejusdem ville plenam decimam, de venditione videlicet et pasnagio et herbagio et de omnibus fructibus qui ex eis poterunt provenire ; ecclesiam de Lovigne cum omnibus decimis et terris et aliis pertinentiis suis ; apud Barou duas partes tocius decime feodi de Grentemesnil ; apud Abe villam duas partes tocius decime vavassorum domini ejusdem ville et domini de Val des Loge ; in feodo Landonis et in feodo domini de Barou quod ad Grentemesnil pertinet duas partes tocius decime ; ecclesiam de Mont Calvet cum omnibus decimis et aliis pertinentiis suis ; de donis autem Geroianorum, ecclesiam sancti Andree de Eschalfou cum capellis et decimis aliisque pertinentiis suis, et in eadem villa decima tocius prepositure, thelonei et omnium reddituum et exituum qui ex ea et pertinentiis ejus poterunt pervenire ; decimam quoque foreste ejusdem ville, de venditione scilicet, pasnagio, venacione, haracio et herbagio et de omnibus fructibus qui ex ea poterunt provenire, etiam si ad agriculturam venerit, et herbagium et pasnagium ad porcos suos et ad alia averia sua, ipsamque forestam ad calfagium et herbergagium suum et domorum suarum et ecclesiarum edificationem et manerii sui de Veteri Mesnil et ad necessaria omnia, tam de vivo bosco quam de mortuo, absque liberatione forestariorum vel contradictione alicujus ; apud Sanctum Andream vavassoriam unam cum feodo de Rocheio et de Nigra Aqua ; ecclesiam sancti Petri de Nidis cum decimis et aliis pertinentiis suis ; apud Sanctum Serenicium ecclesiam cum omnibus decimis et manerio monachorum et terris et aliis pertinentiis

suis et decima annone et vinearum et omnium molendinorum et omnium reddituum qui sunt vel provenire poterunt ex eadem villa, piscationem in aqua quantum durat terra monachorum ex utraque parte ad placitum suum ; apud Radon ecclesiam cum decima et aliis pertinentiis suis ; ecclesiam de Mousterol cum decimis bladi et prepositure et molendinorum bladriorum et omnium reddituum et emendationum qui ex eadem villa et pertinentiis ejus poterunt provenire, et tres furnos in eadem villa, et terras et homines plures ; theloneum quoque et consuetudines de omnibus rebus quas homines eorum vendunt vel emunt per totum feodum de Mosterol ; ecclesiam de Estouvi cum decimis et aliis pertinentiis suis et totam decimam molendini de Rovreio de dono Ricardi de Coluncis, et capellam de Estouvi de dono Roberti de Corceio ; apud Noron prioratum sancti Petri cum ecclesia sancti Cirici cum omnibus decimis et terris et hominibus et aliis pertinentiis suis. Quare volo et firmiter precipio ut hec supra dicta omnia que in presenti carta mea confirmavi ita libere et quiete teneant et possideant sicut unquam aliquis homo de me aliquid melius et honorificencius tenuit et possidebit. Testibus : G. Rothomagensi archiepiscopo, W. comite Pontivi, Nigello de Albigneio, Roberto de Grentemesnil, Roberto Geroiano, Patricio de Chahorcis, Goel de Ivreio, W. de Sacio. Apud Rothomagum.